

Annus,
9^{vo}
Desuper
Cupit 9 Vivis
Meliora!

Symb.
Quaer Beförderung!
Iud. VIII, 22

Khronica
Zachariae
P. HV.

Sammelband

4 152

+

Ad

VIRUM

*Clarissimum & Consultissimum*DN. MELCHIO-
REM ALBRECHTUM*Reichards /*

J. U. LICENTIATUM,

*Cum**Leçtissimâ, castissimâq, VIRGINE*DOROTHEA ELEONO-
RA ROMLINGIA,*VIRI**Amplissimi, Prudentissimi atque Doctissimi*

DN. CHRISTIANI Römings /

Præfecti quondam ac Vectigalium Curatoris

*Hizigerani relictâ Filiâ,**Hannoveræ, VII. Id. Septemb. nuptias celebrantem.*

M. MENTHONIS DEICHMANI

Ecclesiastæ Hannoverani

EPISTOLA

PRO MONOGAMIA.

HANNOVERÆ,

*Typis exscripsit Joh. Fridericus Glaserus,**Anno clæ lē XLIX.*

VERMISCHTE
BRIEFWECHSEL
MILCHIO
BRIEFWECHSEL

1790

1791

1792

1793

1794





Salutem & Officia.



Larissime atque Consultissime Vir, Domine, Fautor, & Amice plurimum honorande, quatuordecim jam sunt anni, quando Tu mihi & ego Tibi primùm innotui, ex eo tempore familiariter alter altero usus est. nullaque re ego tam lætatus sum, quàm cum vidi id vel à Te agi, vel ab alijs in Te conferri, quod Tibi honori esse, inque tuum emolumentum vergere queat. Non possum igitur non & hoc die mihi vehementer gaudere, Tibi verò ex animo gratulari cum video Te domum ducere lætissimam castissimamq; virginem DOROTHEAM ELEONORAM ROMLINGIAM, quam felici divini Numinis auspicio ex pulcherrimo virginum choro elegisti, ut Tibi in re familiari ampliandâ adjumento, in adversis autem exantlandis solatio esset. Dum verò tuis sedis, Clarissime Dn. Licentiate optatam & prosperam lucem, ut omnino decet ac parest, precari volo, occurrit mihi quæstio illa paucis consideranda, videlicet, *utrum liceat uni marito, uno eodemq; tempore plures uxores habere, an verò cum vna tantùm in matrimonio vitam agere debeat.* Et verò fuisse, prius qui affirmarent, non potest non esse notum illi, quicquid, quæ superiora secula literarum monumentis consignata reliquerunt, pervolverit. Simon magus *omnium qui veritatē adulterant Irenæo teste præceptor, lib. i. c. 30.* divinam istam ordinationem juxta quam unus uni cohabitare debet, adprobare noluit, sed *detestandam turpitudinem indifferenter utendi fæminis docuit,* quemadmodum S. Augustinus loquitur, *Quem fœdum errorem & Saturniani & Nicolai* *Ad Quod vult.*

A 2

te eodem *har. 10*

her. 3. & 5. tæ eodem ibidem teste errârunt. Irenæus, cujus jam facta est
Lib. 1. c. 32. mentio autor est, Basilidis & Carpoeratis sectatores multas nup-
tias induxisse & in differentes coitûs suo tempore propagasse.
Quod præstantissimus & doctissimus Iudæorum historicus Iosephus de suâ sui seculi gente scribit, idem & postea observatum
esse, viri fide digni testantur, videlicet permitti in illa gente, ut
Lib. 17. An- quatuor vel quinque uxores qui velit, habeat. *Mos nobis est pa-*
tiqq. c. 1. *trius plures simul uxores habere*, ait Iosephus quâdo adduxit, quòd
Herodes nepotibus suis de uxoribus prospexerit. Seculò post
Christum natum secundo polygãmiam apud Iudæos obtinuisse scribit antiquissimus, qui quidem hodie genuinus exstet, uno
Clemente Romano excepto, ecclesiæ Doctor Iustinus martyr,
dialogo enim cum Tryphone Iudæo sic ejus habent verba, pro
pag. 363. e- ut Ioañes Langus ea Latio donavit: *Rabini vestri sanè adhuc usq;*
dit paris. *diem & quatuor & quinq; vestrum unumquemq; uxores habere per-*
mittunt, & si quis venustam inspiciens eam expetiverit, cum Iacobi
Israelis & aliorum patriarcharum facta commemorant, tum nihil
iniuri agere similia facientes adseverant, quo quidem etiam miseri
& stulti sunt nomine. Eadem paucis pagellis interjectis repetit
pag. 371. eodem dialogo his verbis: *Si permissam esset, quam quis vellet, atq;*
ut vellet, & quoad vellet habere conjuges, quemadmodum faciunt
populares vestri (Iudæi) per terram omnem ubicumq; peregre sunt,
aut quocumq; proficiscuntur, sub matrimonii nomine mulieres
sibi copulantes, longè magis in Davide id permissum esset. Iudæis in
hoc errore si non superiores sanè interiores non sunt Muham-
medanitor enim apud illos hodie quemque matrimonio sibi
jungere licet, quot alere potest, & hoc ipsos suo exemplo olim
docuit libidinosus eorum impostor & autor Muhammedes,
qui quando seculo post natum Salvatorem septimo imperante
Heraclio ob peccata & scelera Christianorum maxima, prodijt,
non tantùm nova & impia dogmata sparsit, sed etiam ex libidine
multas sibi uxores matrimonio junxit, quod apud Turcicæ
historiæ

historiae scriptores passim legere est. Valentinianus Imperator,
 qui seculo quarto regnavit, cum amore captus esset Iustinae cu-
 jusdam, eamque matrimonio sibi jungere vellet, retenta priore
 conjugē Severā, ex qua Gratianum filium jam susceperat, ne
 intemperans & libidinosus haberetur, lege, (quod & Iulius Cæsar ^{Sveton.}
 eandem ob causam facere iussit) tulit, ut cuique volenti liceret duas ^{Iulio cap.}
 uxores habere legitimas, ut Socratem Latine loqui fecit Ioannes ^{52.}
 Christophorus, Cicestrensis quondam Episcopus. Patrum ^{Lib. 4. hist.}
 nostrorum memoriā Anabaptistae polygamiam introducere & ^{Eccles. cap.}
 defendere conati sunt, ut scribit in examine Concilij Tridentini ^{26.}
 vir magnae eruditionis Martinus Chemnitius, quod & videre ^{De matrim.}
 est, apud Schlüsselburgium, catologo haereticorum, ut vocat, a ^{p. m. 423.}
 lios. Exemplo esse potest Iohannes Leidensis Anabaptista, is e- ^{Lib. 12. p.}
 nim cum Monasterfienſis urbis principatum invasisset, virum ^{m. 95. seq.}
 non esse de vinculo uni conjugi docuit, & licere quantum vis mul-
 tas in matrimonium ducere, quae Sleidani verba sunt, qui addit, ^{Lib. 10.}
 quod mox ternas duxerit uxores, alijque hoc exemplum deinde ^{Comm. p.}
 secuti sint ita quidem, ut etiam in laude posita fuerit frequēs ma- ^{m. 252.}
 trimonij repetitio. Hetzerus Anabaptista uno tempore tredecim
 simul uxores duxit, si vera sunt, quae Fevardentius scribit ad
 lib. 1. Irenaei cap. 32.

Caeterum sacra volumina accuratius consideranti patet, quod po-
 lygamia sub novi praesertim foederis tempore licita minimè sit. Et pri-
 mum quidem argumentum huic rei probandae, desumi potest ab ipsa
 Adamo de conjugio facta revelatione ejusque exemplo ac dicto Chri-
 sti verò in N. T. repetitione. Adamo primo humani generis parenti in
 sopore, quo correptus fuit, varia revelata sunt mysteria, quomodo scri-
 bit Marcus Antonius de Dominis, quae inter unum fuit, quale inter ho- ^{Lib. 5. de}
 mines debeat esse vinculum contractus humani matrimonialis, videli- ^{rep. Eccles.}
 cet ut unus uni copuletur consortio indivisibili, & hoc Adam experge- ^{cap. 11. p.}
 factus visus coram se muliere, quam numquam antea viderat, quod sibi ^{m. 299.}
 revelatum fuerat, effatus est his verbis: Hoc nunc os ex ossibus meis & caro de ^{Gen. 2. v.}
 carne mea: propter hoc vocabitur virago, eo quod de viro sumpta sit hac. Propte- ^{23. 24.}
 rea

rea deseret vir patrem & matrem suam, & habebit uxori suae, eruntque in carnem unam. Cum autem post lapsum & praecipue post diluuium ab hac DEI voluntate discessum homines fecissent, Christus sub initium N:T, matrimonium ad primam revocavit ordinationem, eamque deinceps voluit valere. Verba ex Matthæo ita sonant: *Annon legistis, quod is, qui fecit ab initio, masculum & feminam fecit eos: Et dixit,* (quæ Adamus locutus est, Christus Patri suo adscribit, utpote cujus revelatione & instinctu Adam ea verba protulerat, *Adæ sermo DEI est,* inquit Theophylactus) *propterea deseret homo patrem & matrem & agglutinabitur uxori suae, & erunt duo in carnem unam, itaque jam non sunt duo sed una caro.* Et cum regerent Pharisei, Mosen permisisse libellum repudij, responderet Christus, *Moses ad duritiem cordis vestri permisit vobis repudiare uxores vestras, ceterum ab initio non factum est sic.* Ex quibus Adami & Christi verbis sic concludi potest: *Quemadmodum Deus primâ revelatione Adamo de conjugio factâ, conjugium esse voluit, ad eum modum Christus in N.T. revocavit. Atqui Deus primâ revelatione Adamo de conjugio factâ conjugium unius cum una conjunctionem esse voluit, Ergo.* De minoris veritate qui dubitat, ille consideret, quod primò vocabula hic numero singulari posita legantur. *Adhærebit uxori suae* (non uxoribus) *erunt duo in carnem unam* ut habet vulgata. Hebraice quidem: *Erunt in carnem unam.* Sed quòd de duobus non verò pluribus Adamus loquatur, docet non tantùm contextus, sed Christus optimus mentis divinæ interpret loco jamjam adducto. *Erant uterque nudus,* scribit Moles, *Adam & uxor ejus* (non uxores) *Marem & fœminam* (non fœminas) *creavit eos.* Paulus etiam cum de matrimonio loquitur, eodem semper numero uitur. Rediguntur, inquit ad Corinthios scribens, *duo in carnem unam.* Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum. --- *Alligatus es uxori? noli querere divortium.* Eodem modo Ephesinis suis scribit: *Hujus rei gratiâ relinquet homo patrem & matrem, & adglutinabitur ad uxorem suam, atque è duobus fiet una caro.* Secundo: *masculum & fœminam fecit Deus protoplastos, non masculum & multas fœminas, ut uni masculino liceat plures fœminas possidere.* --- *Non enim duas aut tres costas detulit de latere viri, & duas aut tres fecit mulieres.* Verba sunt Auctoris operis in Matthæum imperfecti, incerti quidem sed eruditi, qui vulgo Chrysostronus habetur. Jam si Deus voluisset conjunctionem unius cum multis, Adamo non unam tantùm è costa, sed multas fœminas, quas uxores duxisset, formasset,

Alia

filiis enim & neptes, quales reliquæ fœminæ præter Evam erant omnes, matrimonio sibi jungere Adamus non poterat: naturæ enim omnino repugnat, ut matrimonia parentes cum filiabus vel filiis ineant, nam nec maritus, qui superior est lege matrimonii, eam reverentiam potest præstare matri, quam natura exigit, nec patri filia; quia quanquam inferior est in matrimonio, ipsum tamen matrimonium talem inducit societatem, quæ illius necessitudinis re-
Lib. 2. de jure pacis & belli cap. n. 12.
verentiam excludat, ut scribit Hugo Grotius. Illicita igitur & irrita jure naturæ sunt ejusmodi conjugia, & nihil est, si quis ab animantibus brutis hic argumentari velit & dicere, istiusmodi conjunctiones non esse contra jus naturæ, nam satis est, si cum humana natura quid pugnet, ut illicitum habeatur. Benjamin Tudelensis quidem in suo itinere se deprehendisse gentem quandam ad montem Hermonem habitantem &
Itinerar. p. 36. edit Helmst.
Dogziin dictam, in qua gente matrimonia patres cum filiabus iniisse, & festo quodam annuo & solenni in communi convivio omnes uxores invicem permutasse scribit, sed ipsam gentem paganam nullius religionis, incestibus verò infamem esse Tudelensis dicit.

Quæ antea Servatorem apud Matthæum de divortio à Pharisæis tentatum respondisse audivimus, iis subjungit hæc verba: Dico vobis qui-
Matth. 19. v. 9.
cumq; dimiserit uxorem suam nisi obscurationem & aliam duxerit mœchatur, & quisquis dimissam duxerit mœchatur. Ex ijs secundum formam potest argumentum contra polygamiam, quod tale erit. Si is mœchatur, qui dimissâ priore conjugē, quæ dimitti non poterat, aliam ducit, utique etiam mœchatur, qui retentâ seu non dimissâ priore aliam ducit. Atqui verum est prius ergo & posterius. Non licet igitur plures uxores simul habere, nisi adulteria licita esse velimus dicere. Minus quidem repugnat rationi & naturæ, si vir plures uxores, quàm si uxor plures maritos habeat, iuterim tamen ex dictis patet, quod nec marito id liceat, saltem jure divino positivo. Sed audiamus etiam Paulum eadem, quæ Christus de marito, de uxore scribentem: *Vivente viro, dicit ad cives suos Ro. C. 7. v. 3. manus, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro.* Et ad Corinthios: *Is, qui in matrimonio juncti sunt, precipio non ego sed Dominus, uxorem à viro non discedere, quod si discesserit manere innuptam aut viro suo reconciliari---*
Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius vivit, quod si dormierit vir eius, libera est à lege, cui vult nubat. Quando hæc quæ attuli contra polygamiam perpendit catholica & orthodoxa Christi ecclesia, unanimi consensu, polygamus res suas habere jussit, imò damnavit, monogamiam contra
sem-

semper amplexa est & evoluit, uti exactis Conciliorum & Ecclesie Do-
ctorum scriptis facile probari posset, si epistolae leges non prohiberent.
Taceo quod Imperatores etiam Romani magnam partem Ethnici in-
Lib. 5. defamiae nota Polygamos aliaque poenam adfecerunt, imò in multis locis
rep. c. 1. p. capitalem Bodino teste, irrogarint.
m. 793.

Cæterum cum Anabaptistæ, alijque quos memoravi Po-
lygamiam defendere sategerint exemplis Abrahæ, Jacobi, Da-
vidis, aliorum, quos plures uxores habuisse, & tamen Deo gra-
tos & acceptos fuisse constat, paucis dispiciamus liceat, quid viri
eruditi ad illa responderint. At verò Doctores ad unum fere
omnes, quotquot quidem hanc rem attigerunt dispensationi di-
vinæ peculiari hoc tribuunt, eamque alij dicunt prolis causâ esse
factam. Cum enim post diluvium numerus hominum exigens
esset, iiq; nec tam diu viverent, quàm ante diluvium (ubi solius
Lamechi mentionem sacra scriptura facit, quem *pro expletione*
. 4. dist. 33. *carnalis voluptatis id fecisse Magister scribit*) ideo DEUM dicunt,
indulnisse polygamiam, ut eò citius genus humanum augetetur,
Hom. 55. in *Audiens*, inquit Chrysostronus, Oecolampadio interprete, quod
Genes. p. *Jacob accepit majorem natu & postea minorem, ne turberis, neque*
161. *juxta statum, qui nunc est, opera qua tunc facta judices. Tunc e-*
nim quia principia erant, permissum fuit, eum duabus vel tribus vel
pluribus uxoribus misceri, ut humanum genus propagaretur. De
eodem Jacobo audiatur Augustinus, qui libro de Civit. Dei xvi.
cap. 38. *scribit, quod eo tempore, quo Jacob Polygamus vivebat, mul-*
tiplicanda posteritatis causâ plures uxores lex nulla prohibuerit: nec
Jacobum usum plurimis, nisi gignenda prolis officio, conjugali jure
servato: neque hoc fecisse nisi uxores ejus id fieri flagitassent, qua
corporis viri sui habebant legitimam potestatem. Idem eodem
cap. 25. *libro de Abrahamo in hæc verba: Usus est Agar ancilla ad gene-*
randam prolem non ad explendam libidinem, nec insultans sed po-
tius obediens conjugi, quæ suæ sterilitati credidit esse solatium, si fe-
cundum ancilla uterem, quem natura non poterat voluntate facere
suum.

facum, & eo jure, quo dicit Apostolus: Similiter & vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier: utens mulier ad parendum ex altera, quod non poterat ex se ipsa. Nulla est hic cupido lascivia, nulla nequitia turpitudine. Ab uxore causa prolis ancilla marito traditur, a marito causa prolis accipitur, ab utroque non culpa luxus sed natura fractus exquiritur. Libro de doctrina Christiana III. Cap. 12. eandem in sententiam loquitur: Suscipienda prolis causa erat uxorum plurium simul uni viro habendarum inculpabilis consuetudo, & ideo unam feminam maritos habere plurimos honestum non erat, non enim mulier eo est fecundior, sed meretricia potius turpitudine est, vel questum vel liberos vulgo quarere. Peccatum illud, inquit Auctor imperfecti operis, raritas hominum & necessitas excusabat. Quam raritatem ac necessitatem causam specialis dispensationis divinæ fuisse, & de Dominis patet, & ex hac speciali gratiâ dispensante polygamiam scribit non prorsus illicitè fuisse introductam.

Alij specialem hanc dispensationem factam esse existimant, ut pietas incrementum acciperet, (verba Chrysostomi sunt,) & notitia cultus divini eo melius propagaretur, quo de audiamus Magistrum: Cum ceteris, inquit ille, in idololatria relictis Abraham & filios ejus in peculiarem populum sibi Dominus elegeret, ritè multarum fecunditate mulierum populi DEI multiplicatio quarebatur, quod in successione sanguinis erat successio religionis, unde etiam in lege maledicta erat sterilis, qua non relinquebat semen super terram. His verbis subjicit Magister, quòd nec Abraham nec Jacob polygamiâ suâ peccârint, idque testimonio Augustini & aliorum probat. Grotius paria cum Magistro, Augustino, aliis sentiens addit quod istis temporibus nulla lex eâ de re extiterit ac proinde transgressio etiam nulla fuerit.

Alios reperias, qui idco Deum indulgisse dicant Polygamiam, ut esset futuræ conjunctionis Judæorum & gentium in ecclesia Dei typus, quos inter est Justinus, qui sub finem dialo-

B

gicum

Hom. 1. in
Matth.

M. Antonio

Lib. 5. de
rep. c. 11.
num. 3.

Hom. 55. in
genes.

Lib. 4. sent.
dist. 33.

Lib. 2. de
ur. pacis. c.
5. n. 9.



pag. 364. gi cum Tryphone ait, *Magnorum Sacramentorum Oeconomias & dispositionis in eo quod patriarcha polygami fuerint fuisse celebratas & addit connubia Jacobi rei per Christum perficiendæ typum fuisse, Leam significasse populum Judaicum & Synagogam, Rachelem verò ecclesiam Christianam.*

Quidquid autem tandem de Patriarchis alijsq; sub V. T. fiat, ex superioribus patet, quod hodie polygamia lege Evangelicâ divinâ sit prohibita, circa quam legem dispensare nullius hominis sed solius Dei est, qui hanc legem tulit. Hoc quidem verum esse fateamur oportet, si cui contigerit primo privari conjugio,

Fulgentius lib. de fide ad Petrum si voluerit secundas vel tertias inire nuptias, quod nullum de illis *Diaconum* peccatum habiturus sit, sed si eas castè servaverit, id est, si anus & una legitime duntaxat conjuncti fidem servent, ut nec ille mulieri

Session. 24. Can. 2. præter uxorem, nec illa viro præter maritum ullatenus misceatur. Si autem quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores & hoc nullâ lege divinâ esse prohibitum, illi nos anathema, cum Tridentinis hic rectè sentientibus dicimus: De nostris majoribus

De morib. Germ. c. 6. scribit Cornelius Tacitus, quod prope soli barbarorum singulis uxoribus contenti fuerint, utinam & hodie de omnibus Germanis [ut omnino debebamus, præsertim fide illustratis] idem dicere possemus: utinam omnes & singuli cum Minucio Felice nobili ac pio apud Romanos causi dico dicerent, unius matrimonii vinculo inhaeremus & cupiditate procreandi aut unam scimus

Octavio p. 36. Edit. Woyt. aut nullam, tunc sine dubio Germania tot tamq; diuturnis cladibus non adficeretur, neq; tot & tam cruentæ hominum strages ederentur. Te, mi clarissime Sponse, quia à primis annis in hunc usq; diem castâ mente Deo Te litare novi, hodie verò puri atq; licithori vi præcepti Evangelici juga subire video,

ti

Instar palmitis uberi
Proventu gravidæ, & comâ

Cin-

Cingentis viridi domum

----conjux hilarabit.

Ceu plantaria fertili

Pubescunt oleæ solo,

Iucundo Tibiliberi

Cingent agmine mensam.

Prolis adspicies tuæ

Longâ stirpe propaginem.

Hoc & illud est quod ego, quod omnes quot-
quot hîc invitati non modò adsunt, sed & qui ^{ubi ferrarum}
Tibi ex animo volunt ^{et sint} precantur. Salve &
vale Domine, Fautor & Amice plurimum ho-
norande cum suavissimâ & castissimâ tua
Sponsâ, mihi que ut facis, favere perge.

Hannov. ex muséo VII: Id. VIIbr.

Anni cl̄o l̄o c XLIX.


F I N I S.

Li 3492

i

Vb 77





Contenta hujus Libri:

1. Tractatus de Arte Nova, Calixti.
2. De Immortalitate Animae, et Resurrectione carnis, Egid.
3. De Purgatorio, q̄ Malmannū, Conringii.
4. De Conciliis, Summāq̄ circa ea p̄state, Egid.
5. Testimonia de necessitate B. operū ad salutē.
6. De Cultu S. Virginis Mariae ap. P̄ficiis.
7. De gratuita Iustificacōe corā Deo, Calixti.
8. De Primatu R̄ni P̄ficiis, Egid.
9. De Ecclesiā, Cellarii.
10. De Poenitentia, q̄ P̄ficiis, Egid.
11. Miscellanea.

ULB Halle


3

002 163 462



DE ART
DE IMP





16.

Ad
VIRUM
Clarissimum & Consultissimum
DN. MELCHIO-
REM ALBRECHTUM
Reichardts /
J. U. LICENTIATUM,
Cum
Lectissimâ, castissimâq, VIRGINE
DOROTHEA ELEONO-
RA ROMLINGIA,
VIRI
Amplissimi, Prudentissimi atque Doctissimi
DN. CHRISTIANI Römllings /
Præfecti quondam ac Vectigalium Curatoris
Hizigerani relictâ Filiâ,
Hannovera, VII. Id. Septemb. nuptias celebrantem.
M. MENTHONIS DEICHMANI
Ecclesiastæ Hannoverani
EPISTOLA
PRO MONOGAMIA.
HANNOVERÆ,
Typis exscripsit Joh. Fridericus Glaferus,
Anno clæ lē XLII X.